

*Doc. 19 (Scriptum est eidem [iustitiario
Bari] etc. Sciat fidelitas tua quod...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 19 (Scriptum est eidem [iustitiario
Bari] etc. Sciat fidelitas tua quod...)*

1279-05-13

Scriptum est eidem (iustitiario Bari) etc.

Sciat fidelitas tua quod nuncius tuus lator presentium assignavit excellentie nostre pro parte tua die septimo presentis mensis madii huius septime indictionis apud Turrim Sancti Herasmi propre Capuam quaternura sub sigillo tuo permissum continentem extimationem reparationis domorum palatii nostri Lacus pensilis nec non et reparationem aqueductuum per quos aqua derivatur ad fontem existentem secus palatium ipsum faciendam de lapidibus vivis incisis, factam per te ut scripsisti ad mandatum nostrum proinde tibi missum, super que tibi taliter respondemus quod domus ipsas omnibus et singulis in quibus necessario et utiliter indigent, instanter facias reparari cum iustis necessariis et moderatis expensis faciendis de quocumque pecunia curie nostre et in ipsius defectu de pecunia presentis generalis subvencionis iurisdictioni tue imposita, que est vel erit per manus tuas, iuxta tenorem mandati nostri proinde tibi missi ut possimus in eis, cum ad palatium ipsum feliciter deo duce veniemus habiliter hospitari, ipsum vero aqueductum non de lapidibus vivis incisis seu fabricis murorum, pro eo quod omnes expense in hiis faciende ad superfluam quantitatem iuxta extimationem reparationis ipsius per te missam ascendunt, reparari volumus et aptari set aqueductum ipsum expurgari et mundari facias sablone et aliis immunditiis et sordibus in eo existentibus ut aequa libere ad fontem ipsum decurrat prout melius et cum minoribus expensis id fieri poterit ut in hoc expensis ipsis superfluis non gravemur.

Datum apud Bellumvidere die XIII madii (VII indictionis) 1279.